

recipi. Quod dissidium inter eos & orthodoxos tā pertinaciter duravit, vt quanquam in reliquis fidei Christianæ dogmatis ferè conuenirent, tamen simul precari, etiam in mediis ipsis metallorum, quibus erant addicti, pœnis recusarent, quemadmodum Epiphanius scribit. 2 Sanctimoniam quandam in repetitis lotionibus constituebāt, more Indæorum, aliisque ceremoniis, vel à se recenter inuentis, vel ad Legalium imitationem confictis. Itaque hymnos canentes saltitabant, & tintinnabula varia vni cuidam funi alligata ad Deum placandum, & deprecandum simul pulsabant. Theodoret. lib. 4. heretic. fabul. Id quod retinuerunt Papistæ, tam est nimirum infelicis lolii & veneni ferox tenaxque humanum ingenium. Ac de Meletianis hæctenus, quorum etiam ad Damasc. meminit Hieronymus.

## CAP. XLIX.

Ariani cur sic dicti. Erroris autem eorum capita quatuor enumerantur.

**A**riani ab Ario<sup>1</sup>, in eo sunt notissimi errore, quo<sup>2</sup> Patrem, & Filiū, & Spiritū sanctum nolunt esse vnius & eiusdē nature, atque substantiæ: aut, vt expressius dicatur, esētis, quæ οὐσία Gracè appellatur: sed esse Filiū creaturam: Spiritum verò sanctū creaturā creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatū volūt. In eo autē, quòd Christū sine anima solā carnē suscepisse arbitratur, minus noti sūt. Nec aduersus eos ab aliquo inueni de hac re aliquando fuisse certatū. Sed hoc verum